



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 108. Supplicium Mariæ Stuartæ denuntiatum, atque heroica illius constantia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

unaomnes rem omni studio urgendam, atque feralis hujus sententiæ executionem esse accelerandam unanimi suffragio decernebant, quin tamen quicquam Angliæ Regiæ significaretur: quoniam vero hujus sententiæ epistola ad Schrewsburiensem, Darbiensem, Cantensem, & Northumbrium Comites eo fine esset directæ, ut hæc sententia iis præsentibus executioni mandaretur, hinc infame hoc scriptum Belotradebatur, ut illud quatuor hisce Comitibus porrigeret. Postea Proceres, Nobiles, Equites, atque ejusdem Regionis Præfecti congregantur, atque unaomnes in arcem Fodringam conveniunt unacum duobus carnificibus: altera vero post eorum adventum die iussa sibi demandata Mariæ Regiæ significant, atque ut sese ad subeundum mortis supplicium paratam teneret, eidem denuntiant.

## §. CVIII.

*Supplicium Mariæ Stuartæ denuntiatum, atque heroica illius constantia.*

Dies erat decima septima Februarii, qua circa tertiam pomeridianam diei horam præfati Comites Mariæ Regiæ mortis nuntium deferebant, quæ tamen nil perterrita sententiam ex-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1587.

Thuan. l. c.  
Cambden l. c.  
Addit. aux  
mem. de Ca-  
stell. l. 3.  
pag. 539.

cepit,



Sæcul. XVI. cepit, imo etiam ingentem præferebat lætiti-  
 A.C. 1587. bat lætiti-  
 am, eoquod tandem iniquis vexationibus finem appropinquare cer-  
 neret: sancto enim fine suo testatum re-  
 linquebat, quod jam a prima die, quæ  
 in Angliæ Regno carceri mancipata hæ-  
 rebat, sese ad violentæ hujus mortis  
 luctam pie accinxisset: nihilominus De-  
 putatos rogabat, ut pro condendis fu-  
 premæ voluntatis suæ tabulis, rebus-  
 que suis disponendis exiguum sibi tem-  
 poris momentum indulgere velint, cum  
 id suæ voluntati libere relictum esset,  
 prout demandatæ jurisdictionis diploma  
 hinc Ministris collatum spondebat: at  
 Schrewsburiensis Comes inhumana du-  
 ritie eidem respondit: *Non, non, Mo-  
 ria Princeps, mori debes, Et mane crastina  
 die circa septimam, vel octavam horam ad  
 mortem te paratam habeas, Et nequidem  
 unius momenti inducias tibi indultum in-  
 scias: alius tamen paulo humanius il-  
 lam solari, atque ad mortem constantem  
 subeundam hortari aggrediebatur. (\*)*  
 Verum illa mox eidem hæc in respon-  
 sis dabat: „solatio, quale tu mihi pro-  
 „pinas, haud indigeo, si tamen quode-  
 „dam obsequium a te præstolari possem,  
 „id unicum foret, ut meum Confessio-  
 „rium

(\*) Erat is Richardus Flecherus Peterbor-  
 gii Decanus hæreticus.



Œcul. XVI.  
A. C. 1587.

„rium adesse jubeas: hoc tuum servi-  
 „tium, si mihi præstare non recusas,  
 „præ omnibus favoribus, quos mihi  
 „præstare valeres, longe pluris haberem:  
 „parum enim de vita mea sum solli-  
 „cita, nec hostium meorum furorem  
 „ad tantam crudelitatem prolapsurum  
 „crediderim, ut mihi sepulturam de-  
 „negare velint. „ Enimvero nil ma-  
 „gis æquitati consonum erat, quam hu-  
 „jus Reginae petitio, nihilominus cru-  
 „deli hostium suorum invidia tam dure  
 „premebatur, ut hi adeo non ipsius Con-  
 „fessarium accerferent, ut eidem relu-  
 „ctanti etiam Peterborgiensem Decanum  
 „obtraderent, quem ipsa acceptare renue-  
 „bat: porro hoc privata solatio, quod  
 „tamen nec sceleratissimis quibusque de-  
 „negari solet, non nisi sequentem episto-  
 „lam, quam ad conscientia suæ Mode-  
 „ratorum transmitti rogabat, scribere  
 „permittebatur.

„Hodie, quæ tamdiu ob Religionis  
 „meæ constantiam divexata fui, insuper  
 „mei hostes me cogere attentabant, ut  
 „ab hæreticis solatium reciperem: ast a  
 „Burgoino, aliisque percipies, quod fi-  
 „dei orthodoxæ professionem fideliter  
 „emiserim, atque in ea mortem oppo-  
 „tere parata sim: te quidem mihi accersiri  
 „efflagitabam, ut a noxis conscientiam  
 „meam liberares, juratamque meam

*Hist. Eccles. Tom. L.*

Gg

„pro-



Sæcul. XVI.

A.C. 1587.

„professionem exciperes: verum id mihi  
 „crudelitate haud audita denegatum  
 „est, imo nequidem indultum, ut cor-  
 „pus meum transferretur, aut libere  
 „testamenti tabulas conficere possem,  
 „hinc eas non nisi ab hostibus meis scri-  
 „ptas recipere cogor: cum ergo tua  
 „præsentia me privatam cernam, ge-  
 „neratim, sicut coram te sigillatim ex-  
 „ponere decrevi, peccatorum meorum  
 „gravitatem confiteor, te per Dei no-  
 „men obtestata, ut hac nocte pro im-  
 „petranda peccatorum meorum satis-  
 „factione mecum vigilare, & orare,  
 „atque absolutionem, veniamque om-  
 „nium meorum delictorum, quæ com-  
 „misi, impertiri velis; quippe tem-  
 „tabo, an non saltem præsentibus ad-  
 „versariis meis te coram cernere liceat,  
 „sicut hostes mei id mihi polliciti sunt,  
 „sique hoc mihi dabitur, tunc veniam  
 „a te coram omnibus precabor. Edoce  
 „me illas orationes, quæ ad hanc no-  
 „ctem, & crastinæ diei matutinas ho-  
 „ras sancte transigendas magis idoneæ  
 „sunt: tempus enim vitæ meæ admo-  
 „dum brevè est, nec mihi plura scri-  
 „bendi spatium conceditur, te tamen  
 „cum ceteris Deo commendatum ha-  
 „bebo, & præcipue tua beneficia mihi  
 „præstita grato animo compensabo, tibi-  
 „que præmium esse repositum scias;  
 „quip-



„quippe te speciatim Regi commendabo: Sæcul. XVI.  
 „ast haud ultra mihi tempus indulge- A.C. 1587.  
 „tur, in opem meam facid omne, quod  
 „ad salutem meam magis utile, ac  
 „congruum fore censebis.”

Reliquum tempus Regina in con-  
 scribendis literis ad Franciæ Regem,  
 Reginam Matrem, Guisii Ducem, ac  
 Ducissam impendebat, eisdem suos  
 famulos commendans, hisque Principi-  
 bus fidem faciens, quod nunquam be-  
 neficiorum, quæ ab eis recepisset, im-  
 memor post tam diurnam captivita-  
 tem læta mortem oppeteret: denique  
 omnes suos famulos coram adesse ius-  
 sit, eisque pauca illa, quæ supererant,  
 vasa argentea, pedissequis vero suis  
 „puellis annulos, gemmas, vestesque  
 „distribuit, cunctos ita alloquens: „Do-  
 „leo summopere, quod plura, quæ vo-  
 „bis donarem, hostium meorum invi-  
 „dia haud reliquerit: certi autem sitis,  
 „quod Filius meus cetera compensatu-  
 „rus sit.” Porro suæ Curiae Administro  
 injunxit, ut eidem Filio suo hæc nun-  
 tiaret: „Oro eum, ut Deo seruiat, Ec-  
 „clesiam Catholicam tueatur, nec mor-  
 „tem meam ulciscatur, sed totam suam  
 „in Deo fiduciam collocet: de cetero  
 „autem eidem bene precor:” His dictis  
 cunctos valere iussit, ubi omnibus uber-  
 tim in lacrimas effusis, ipsa nunquam  
 Gg 2 fere



Sæcul. XVI. A.C. 1587. flere visa illos solabatur, monebatque, ut a lacrimis sibi temperarent, eo quod ipsa ad primum felicitatis suæ momentum properaret, mox a tot calamitatibus, quibus hucusque pene consumpta fuisset, liberanda: postea cunctos e cubili excedere iussit, exceptis suis pedisequis: ingruentibus vero jam noctis tenebris ad suum Oratorium secessit, ubi in terram prostrata plusquam integris horis Deum precabatur, ut in extrema lucta ei divino suo auxilio præsto esse velit: demum ad suas famulas reversa, corpus parco alimento reficiebat, atque ad lectum se componebat: duabus autem horis ante solis ortum surgens pretiosiores vestes induta ad suum Oratorium revertebatur, ubi Sacratissimo sese muniebat Viatico, quod sibi, prout fertur, a summo Pontifice Pio V. transmissum semper sedulo conservarat, ut urgente necessitatis eventu illo uti valeret: id tamen ægre creditur valet, cum jam decimus quintus præterlaberetur annus, a quo sanctus hic Pontifex e vivis excesserat.

## §. CIX.

*Maria Scotiæ Regina ad supplicium abstracta.*

*Thuan. l. 86. Summo mane Deputati ad Regiæ curiæ*  
*Addit. l. c. bile conveniunt, eandem ad supplicium*  
*pag. 542. t. 1. cil*